



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Avrelii Avgvstini Hipponensis Episcopi Et S. R. E.
Doctoris Vita**

Lancilottus, Corneille

Antverpiæ, 1616

Cap. XXII. Domus D. Augustini velut officina communis omnibus egentibus patebat, quos interdum pro re natâ monebat, quandoque præ intentione animi nimiâ non obseruabat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42857

CAPVT XXII.

Domus D. Augustini velut officina communis omnibus egenibus patebat, quos interdum pro re natâ monebat, quandoque praesentione animi nimiam non observabat.

Lib. 6. Cō-
fess. cap. 3.

B. Jordan.
Sabellic.
lib. 2. de
Exempl.
cap. 6.
Marul. 2. l.
Exemp.

ERAT domus eius quasi quædam officina virtutum cuiusvis ordinis ac generis hominibus, ideoque cubiculi patebat ostium semper: quamquam interdum sic esset diuinæ lectioni penitus intentus (ad quam de fluctibus negotiorum ceu in portum se recipiebat) vt instar D. Ambrosij, semet expectantes cum silentio, subinde non animaduerneret. Fuit in ceteris femina quædam honestiore loco nata, quæ cum falsò traducta esset à quibusdam maleuolis, sanctum Episcopum adiit consilij gratiâ, ac nemine ad ostium reperto, subintravit interiora domus, petiitque conclaue, in quodum erat S. Augustinus, & honorem ipsi, vt par erat, maximum exhibuit. Verum ille studiis intentissimus, ne verbulo respondit, nec ad eam se conuertit. Mulier istud tribuens eius verecundiæ, vtpote qui nollet solus cum solâ loqui, vicinius accessit, cœpitque rem ordine referre, ob quam venerat: sed nec ita quidem responsum obtinuit, adeo vt citra vllum solatium discedens,

dens Augustinum postridie cogeretur in templo quærere, vbi eum rei diuinæ operantem inuenit: cui cum illa magnâ attentione pietateque interesset, sub eleuationem sacratissimi corporis Christi, mente sublata fuit ante thronum SS. Trinitatis, vbi conspexit B. Augustinum inflexo capite; profundissimè de hoc mysterio disputantem, vnaque vocem percepit ad se delatam huiuscemodi: Augustinus eo tempore quo eum heri interpellare voluisti, fuit abreptus in contemplationem SS. Trinitatis; ideoque dum ei loquebaris, absens erat animo, nec ad interrogata respondit, ac ne quidem te adesse obseruauit; verumtamen ad eum reuertere, reperiesque erga te propensum ac beneuolum. Cui mulier oraculo cælesti obsequens, ab Augustino ex animi sententiâ consilium accepit.

Adhæc iis qui partes fouebant, erantque Possid. c. 19
factiosi, cum oportunitas esset, & ab ipsis interpellaretur, Dei timorem, eiusque legem sollicitè inculcabat: eosdem harum rerum fluxarum cupidos, vt æternæ vitæ stabilia bona diligerent, exactè instruebat, *peccantes coram omnibus arguens, vt ceteri timorem haberent.* Ac si quos priuatis odiis dissidere vidisset, ad concordiam inducebat; id præsertim cauens, vt nemo simulta-

Q te

te nondum depositâ, sanctissimam Communionem adiret. Omnia enim prætermittenda dicebat, atque adeò ipsum munus apud altare dimittendum esse, quò parti læsæ quamprimùm fiat satis. Quâ de re, *Te, ait, querit Deus magis quàm munus tuum. Offers munus tuum, & tu non es munus Dei. Plus querit Christus quem redemit sanguine suo, quàm quod tu inuenisti in horreo tuo.*

Serm. 16.
De verbis
Domini.

CAPVT XXIII.

Rogatu Pontificis, varios libros scribit contra deliria Iuliani. Et ratione Christi apparentis in Oliueto, scribit ad Hesychiũ de iudicij die.

SCRIPSERAT Iulianus quidam Episcopus duas epistolas, quæ præter hæreses, etiam calumniis erant refertæ, quibus Orthodoxos, ac Romanam præsertim Ecclesiam prosciderat: quas epistolas Bonifacius Pont. Rom. per Episcopum Alipium misit in Africam ad Augustinum, vt eas contrariis scriptis refutaret. Cuius voluntati promptè morem gerens, scripsit aduersus eas libros iv. disertissimos, quos ad ipsum Pontificem misit, vt *eius probarentur auctoritate, qui altiùs præsidens, alta non sapit.* Cum verò idem Iulianus nouus hæretarcha aduersus commentarium D. Augustini De nuptiis & concupiscentiis, iv. virulen-

Lib. 2 De
nupt. &
concup.
cap. 1.
Cap. 1. cõt.
2. Epist. Pe-
lagian.